

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Johannis Segeri Weidenfeld De Secretis Adeptorum Sive Usu Spiritus Vini Lulliani Libri IV

Weidenfeld, Johann S.

Londini, 1684

24. Aqua fortissima de Rupelcissa

[urn:nbn:de:bsz:31-96282](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-96282)

24. Aqua fortissima & virtuosa
Johannis de Rupescissa.
Cap.43. lib. Essentia.

Beatissimus Deus, creator Arcanorum, tot mirabilia condidit in Natura, ut nec intellectus noster, nisi pauca possit percipere, nec lingua valeat mirabilia Dei nisi balbutiendo narrare. Et ex Arcanis revelabo tibi aquam divinæ actionis, & magisterium ejus est, ut accipias optimum Tartarum album calcinatum, & pone in aliquo vase terreo vel vitreo, & infunde desuper meliorem aquam ardentem (*philosophicam*) quam poteris habere, & pone alembicum desuper, & destillabis aquam ardentem debilem valdè, quam remove, quia nihil valet vel parùm, nisi pro oculis aut membrorum lotione: Deinde accipias Tartarum tuum, & inveniès eum fortificatum in duplo, & hoc qualibet vice probabis linguâ. Iterum aliam aquam ardentem desuper pluribus vicibus appone, quia qualibet vice fortificabitur supra modum, & in tantum fortificare eum poteris, ut nulla creata actio ei valeat comparari. Quod si vis vim ejus centuplicare, tritura eam, & pone super porphyrium vel super marmor, ut convertatur in aquam, quæ postmodum destilletur per alembicum.

Alia datur adhuc hujus cæli vegetabilis præparatio, non per Alkali sublimationem, nec cobobationem, sed circulationem simplicem; videlicet digerendo Alkali Tartari tamdiu in spiritu vini phil. donec supernatet olei instar super spiritum vini. Ita fit,

25. Mercurius vegetabilis acutatus
 sale Tartari Lullii.

In camera prima individuorum, dist.3. libr.Essen.

IN prima camera significatur, quòd noster Mercurius est in potentia H. (*Tartari crudi*) & ut ipsum extrahere possimus,